

## CAPUT XXVII.

*Quanta constantia mentis venerabilis prior Joannes voluptates carnis calcaverit.*

Verum in his et hujusmodi sanctæ religionis piique laboris exercitiis tanta inerat ei constantia mentis et longanimitas patientiæ, ut licet in quotidiano agone desudaret, non facile tamen refrigerium qualiscunque temporalis consolationis sibi subripere pateretur, nunquam, nisi extrema necessitate urgente, vigiliis fratrum deserere, seu infirmitorium introire, consentiret. Accidit autem quodam vice, dum sacris vigiliis interesset, ut corporali molestia tactus infirmaretur, nec valeret psalmodiæ odas strenuitate qua solebat explere. Cumque magis ac magis malum intra se grassari, et per vitalia diffusum serpere sentiret, licet multum a cogitationibus suis urgeretur, ut de choro exiret, perstitit tamen, tristis quidem, et reputans ne forte ejusdem invaletudinis inæqualitate pressus, infirmitorium, quod, quantum in se fuit, semper vitare studebat, intrare compelleretur. Finitis vero vigiliarum solemnibus, locum quemdam secretiorem adiit, ibique, remotis arbitris, quanto secretius, tanto securius talia secum loquebatur: « Quid modo miser Joannes, quid modo erit? Nunquid infirmaris? Nunquid infirmitorium, quod solet aut sub flagellis Dei laborantium corpora misericorditer refovere, aut flagellari se simulantium conscientias terribiliter dissipare, tantilla incommoditate victus intrabis? Bene, videlicet ut lectum mollioribus calcittis stratum et ornatum ascendas, quæque molliora sunt in cellario, quæque delicatiora in promptuariis, propter reverentiam officii, quo indignus fungeris, morituræ et putredini obnoxia carni tuæ accuratius præparentur, et sic negligentiores quique fratrum ad sectanda carnis suæ commoda tuo provocentur exemplo. Ergone deliciosa hac infirmitate cursum penitentiæ tuæ interrumpere debebis? Quare non potius præsumis de misericordia Dei, qui potens est tibi morbum temperare, ut et corpus exerceat, et de labore penitentiæ, qui est seminarium beatitudinis æternæ, nihil minuere cogatur? » Nutu vero Dei monachus quidam proximus erat loco illi, in quo vir Domini talia secum loquebatur, qui parietis tantum interstitio ab eo divisus, clarior pii murmuris susurrium audiebat; quique mox festinus ab reverendissimum abbatem Giralduum, cujus supra mentionem fecimus, currens, quid a priore audisset, intimavit. A quo vocatus, vix obedientia cogente, infirmitorium intrare compulsus est, licet hoc invalescentis ægritudinis ejus pondus per se requirere videretur. Cæterum, quam strenue, quam discrete, quam prudenter officium sibi commissum administraverit, quam benignum, quam pium quam charitativum se fratribus suis exhibuerit; quam rigidum, quam auctorabilem, cum forte censura justitiæ id deposceret, se ostenderit, non est nostræ parvitatibus evolvere. Ita enim delicatis et teneris morem gerebat, ut tamen novas, et contra formam Ordinis usurpatas consuetudines, carnem magis quam spiritum redolentes: quas per negligentiam prælatorum, in subversionem religionis, et perditionem animarum, facile pullulare noverat, nunquam temporibus prioratus sui Claræ-Valli subripere passus sit. Sciebat nimirum sicut beati sunt prælati, qui traditiones Patrum per vigorem disciplinæ illibatas custodiunt: sic profecto miser nimis, qui per negligentiam et incuriam religionem intepescere, et Ordinem deperire permittunt. Nam semel exterminata religio, non sine gravissimo scandalo et perturbatione, tam prælatorum quam subditorum, reformari poterit. Nec modo in majoribus, sed etiam in minoribus occasionebus, sicubi forte emersissent, cautissime vigilabat, adeo ut cum quadam vice unus de senioribus prorsus decrepitis et fere edentulus indulgentia venerabilis

abbatis Gerardi panem infirmitorii in conventu fratrum manducaret, patienter ferre nequaquam valeret.

Hæc autem impatientia non de tabida peste invidiæ, sed de fervore religionis et Ordinis æmulatione descendeat. Dicebat ergo: « Nunquid non senes et debiles ante nos in hac sancta domo fuerunt, a quibus tamen nunquam tale aliquid usurpatum est, quale nunc a nobis præsumitur? Nunquid non remissiones et indulgentias corporales magis pro arbitrio imperant, quam requisitione propriæ voluntatis accipiebant, ita tamen ut misericordia eis impensa consuetudinibus Ordinis minime obviaret. Scimus vero nonnullos eorum tanta altitudine spiritualis vitæ a curis carnis avolasse, ut etiam in decrepita ætate miseros se reputarent, si inferiores aliis in vigiliis, vel in jejuniis invenirentur, consolationibus quoque corporales a prælati sibi oblatas, recipere nullatenus acquiescerent. Timendum et valde timendum nobis est ne, cum sancti antecessores nostri spiritu fortiter cœperint, et spiritu fortius consummaverint, nos spiritu incipientes, carne (quod Deus avertat!) consummemur (Gal. III). Quapropter si quis est inter nos emeritorum laborum senex, qui fatiscientibus membris in acie conventus stare non possit, satius est ut missionem accipiens, necessitate sua in infirmitorium transigat, quam conventum tenens inter abstinentes, et naturam grossioribus alimentis utcumque sustentantes, consolationes infirmitorii requirat. Certus sum autem quod unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (I Cor. III): et qui parce seminat, parce et metet (II Cor. IX); et quia Judex, qui terribiliter minatur, scrutaturum se Jerusalem in lucernis (Sophon. I), subtilissima examinatione discutiet qua occasione, quave necessitate, quis pondus diei et æstus, quod in vinea Domini Sabaoth portare suscepimus, declinet. » In hæc igitur sancti fervoris æmulatione et religiosæ conversationis claritate, gratiæ Dei alumni Joannes vitam suam laudabiliter consummans, denarium diurnum, et insuper mensuram bonam et confertam et coagitatam et superfluentem, quam sibi laboribus multis, vigiliis supra modum, strenua quoque executione servitii Dei conquisierat, a summo paterfamilias recepturus, infirmitate correptus lecto decubuit. Ad quem visitandum cum venerabiles viri Eskilus, Danorum quondam archiepiscopus, et Alanus, Antissiodorensis quondam episcopus, venissent, videntes hominem ferventissimum nec in ipsa gravissima infirmitate a solito rigore suo in tantum cedere, ut saltem vestibus ægritudini et debilitati suæ competentibus refrigeraretur, zelo quodam compassionis ducti vestes aliquantulum tractabiliores, quas tanta personæ et infirmitati congruere noverat, jusserunt afferri, petentes ut causa levaminis eis vestiri dignaretur. Tum vero fortis athleta Domini eadem vestimenta coram se posita severius intuens, ait: « Itane beatiorem me faciet vestis mollis et tenera, magis quam grossa et rusticana? Aut quale emolumentum erit, humilitatem, quam a primis conversationis meæ annis tanta sollicitudine servare curavi, imminente mortis articulo perdere? Credite parvitati meæ, quia quandiu super est spiritus in visceribus meis, non recedam a vilitate, per quam elegi abjectus esse in Domo Dei mei (Psal. LXXXIII), nec dabo occasionem inimicis meis confundendi me, cum loquar eis in porta (Psal. cxxvi). Cum autem vocante Domino moribundos hos, jamjamque morientes artus exuero, quantum vultis, putridum hunc carnis saccum induite et ornate; quia quidquid de massa vitali spiritu carente fiat, nihil mea interesse, confido. » Tanta itaque fidei virtutisque constantia munitus vir Domini Joannes, corruptibilis carnis materiam exiit, et bona Domini in terra viventium videre præmeruit. Corpus ejus juxta sacra ossa

fratrum veteris abbatiæ, quorum patientiam et humilitatem haud segniter imitatus fuerat, condigno honore sepultum requiescit in pace.

## CAPUT XXVIII.

*De venerabili D. Gerardo monacho Clarevallis, postea abbate.*

(Vide supra, S. Bernardi vitam primam, lib. VII, col. 444.)

## CAPUT XXIX.

*De visione, qua a tentatione sua quidem novitius Clarevallis liberatus est.*

Clericus quidam de Ordine regularium canonicorum arctioris et secretioris vitæ desiderio Claramvallem veniens, devote susceptus est, sed et ipse primordia tirocinii sui floribus suavolentis conversationis ornare sollicitus fuit. Cumque priores vitæ suavitate nimis ægre dediceret, et novæ quam assumpserat asperitas palato cordis minus saperet, cœperunt de interioribus ejus variarum tentationum ebullire tempestates, sicut necesse est homines alterius Ordinis ad Ordinem Cisterciensem venientes, plus multo quam sæculares de sæculo venientes, experiri. Versabantur ante oculos cordis ejus imagines consuetudinum, quas antea diu in usu habuerat, et eas rationabiles et honestas fuisse, callidus hostis suadebat, Cistercienses vero observantias, quas tunc discere cogebat, velut rusticas et minus suaves, rudis adhuc mens fugiebat et abhorrebat. Verum, nutantem atque fluctuantem oviculam, jamjamque ad apostasiam retrogradam turpitudinem respicientem, divina miseratio tali modo ab errore retrahere, et in bono proposito confirmare dignata est. Aspiciebat in visu noctis, et ecce in nubibus cœli Dominus majestatis, rex regum, et Dominus dominantium Jesus Christus Filius Dei veniebat, tanquam jam judicaturus orbem terræ in æquitate, et redditurus unicuique secundum opera sua. Tum vero universo genere hominum cum timore et tremore multo ad hanc examinationem suspensus, singuli quique Ordines qui sunt in Ecclesia Dei, seorsum et seorsum coadunabantur, solliciti valde de observantiis et cæremoniis Regulæ et Ordinis sui, ne forte perperam quid ab eis gestum severissimum judex suo illo subtilissimo scrutinio deprehenderet. Utinam illud attenderent illi, qui Regulam beati Augustini profiterentur, et singulas ejus sententias quotidie in capitulis suis legunt, et tamen sæculariter vivere, sæculares dici et esse, non solum non verentur, verum etiam gloriantur: vel illi, qui cum Regulam S. Benedicti habitu et specie religionis profiteantur, omnimoda sæculari conversatione sua servantis sæculo fidem, menti Deo per tonsuram noscuntur. Videbat interea præfatus novitius præclarum quendam Ordinem magnæ multitudinis separatim ab aliis consistere, in cujus medio splendidissimus quidam juvenis, cœlesti gloria adornatus stabat, et quasi dux et patronus divini illius exercitus esse videbatur. Cumque sacer ille conventus de statione sua se moveret, ut coram Domino appareret, præfatus juvenis cum multa acritate præcedebat, universo cœtui sequentium se non mediocrem fiduciam consequendæ misericordiæ præbens. Porro cæteri Ordines cum summa reverentia venientibus cedentes, et per sese transeuntibus inclinantes, prærogativæ felicitatis eorum congratulari quodammodo videbantur. Ipse etiam splendor paternæ gloriæ Dominus Jesus, cum sit tremendus ineffabilis majestatis omnipotentia, tamen quasi tenerimus ligui vermiculus pietatis et miserationis dulcedine, susceptum in osculo pacis juvenem divinæ claritatis suæ gloria ipsum cum omni collegio suo illustravit. Novitius autem qui hæc videbat, cœpit cum ingenti admiratione quærere, quænam esset illa justorum congregatio, quæ tam speciali prærogativa præ cæteris Ordinibus a Domino meruit honorari. Dictumque est ei quia

ipse esset Ordo Cisterciensis; juvenis vero ille splendidus sanctissimus Bernardus Primus Clarevallis abbas. Mox ubi hæc audivit, quasi de extasi quadam in se reversus, dicebat intra se: « Nunquid non ego fui novitius in Ordine Cisterciensi, in magna illa domo Clarevallis? Ut quid ergo miser otio torpeo, et non festino me conjungere huic præclarissimo cœtui, quatenus cum eis æternæ beatitudinis particeps fiam? » Et hæc dicens, cœpit totis viribus celeres gressus moliri, sed obstaculo quodam præpeditus proficere non valuit. Nam veluti ramus quidam arboris tortuosus atque nodosus perplexis recurvitatibus pedes et tibias ejus sic arctabat, ut licet summopere impedimentum hoc rumpere niteretur, incassum laboraret. Unde sibi metipsi vehementer indignatus, quod tam frivola occasione tanto bono privaretur, dum totus ad expediendum se movetur, evigilat; et visionem suam prudenter advertens, indignationem suam, quam dormiens conceperat, vigilans et sobrius in laqueos tentationis, qua irretitus fuerat, viriliter intorsit. Tanta namque severitate pristinorum suarum consuetudinum imagines, quas ante delectabiliter recipere, et cum eis fornicari solebat, a corde suo eliminavit, ut eas sibi dominari ulterius non permetteret. Cisterciensium vero sacra instituta, quæ licet sint speculum justitiæ, factione tamen malignorum spirituum in æstimatione ejus viluerant, toto mentis desiderio complexus est; et in eis per arduam et angustam viam, non quasi in incertum currens, coronam beatitudinis æternæ consecutus est.

## CAPUT XXX.

*Qualiter demones converso cuidam nocere voluerunt sed non valuerunt.*

Conversus quidam unus ex opilionibus Clarevallis, cum esset vir bonus et religiosus, officium sibi commissum cum omni sollicitudine et mansuetudine timoris Dei exsequabatur. Omnium vero bonorum invidus inimicus, devotione et simplicitate conversationis ejus nimium exacerbatus, aliquid nequitarum suarum contra eum moliri conatus est; sed Deo auxiliante fraudis ejus commenta in se collisa ad nihilum redacta sunt. Cum enim esset aliquando idem frater ad caulas, vigilans et custodiens vigiliis noctis supra gregem suum, ecce subito facta est in aere commotio magna turbinum, et compugnantium inter se tempestas valida ventorum. Tonitrua quoque crebra, et terribiliter undique crepantia mugiebant; sed et fulgura creberima cœlo erumpentia timorem et horrorem maximum mentibus hominum incutebant. Prædictus itaque frater surrexit, et signo crucis frequenter se muniens, nomen Domini trepidus et anxius invocabat, sanctorumque omnium suffragia suppliciter implorabat. Cum ergo sic staret ad orationem, cœpit audire strepitum et vociferationem quasi exercitus ingentis, ad partes illas cursu rapido venientis; et quanto amplius propinquabant, tanto voces eorum clarius resonabant. In quibus non soli hominum clamores, clangoresve tubarum audiebantur, sed insuper diversi generis ferarum monstrorumque rugitus, et voces terribiles inesse deprehendebantur. Cum ergo usque ad caulas ovium cum ingenti strepitu pervenissent, tanquam ipsas oves usque ad ossa laniaturi, fratre attentius orante, divina virtute repulsi sunt; et intrare quidem minime potuerunt, sed divisim agminibus hinc inde celeriter transeuntibus nihil eis penitus nocuerunt. Verumtamen duo ex eis statura enormes et fuligine nigriores, ad fratrem orantem deverterunt. Cumque paululum coram eo substitissent, unus ex eis locutus est ad alterum, dicens: « Vere diabolus nos deducit, et ipse modo nos huc venire fecit. Annon satis dixeram vobis quia non licet nobis transire per bonum? » His itaque dictis quasi pennigero lapsu perneciter abierunt; et cum paululum pro-

cessissent, omnes tenebrarum incolæ una cum eis evanuerunt. Hanc autem visionem frater ipse qui vidit, sub testificatione veritatis innotuit nobis. Cujus nimirum talis erat conversatio, ut fidem dictis ejus non adhibere nefas esse putarem. Contat ergo quia per bona justorum contrariæ potestates transire vetantur, nisi forte exigente aliqua causa divinitus permittantur.

## CAPUT XXXI.

*De fratre, cui Dominus Jesus cum gloriosa matre sua apparuit.*

In domo Fontis-Mauriniaci conversus quidam degebat, nomine Robertus, qui illuc a Claravalle transmissus, religionis et disciplinæ, quam in Claravalle didicerat, nequaquam immemor erat, sed virtutis et devotionis exempla fratribus ejusdem loci in omni conversatione sua dabat. Inter cætera vero pietatis studia, quæ Domino sedulus offerebat, hoc præcipuum habebat, quod beatissimæ Dei genitricis et virginis Mariæ servitio devotus insistebat, specialis quoque patroni sui Bernardi memoriam frequenti et dulci meditatione rumi- nabat. Cursu denique præsentis vitæ feliciter peracto, salvationis suæ certitudinem, diem quoque mortis suæ prognostica visione prævidere meruit. Ante quintum diem dormitionis suæ vidit in visione Dominum Jesum Christum, et beatissimam Dei genitricem, cum sancto Bernardo abbate, stantes in quodam horto deliciarum, cujus amœnitatis et gloriæ tanta erat immensitas, ut humana locutione explicari non valeat. Ipse vero frater, qui hæc videbat, stabat seorsum; ac respectum divinæ miserationis suppliciter flagitabat. Tunc piissima mater ait ad filium suum: « Domine fili, quid facturus es de isto paupere tuo? » Et Dominus ad eam: « Quidquid tibi placuerit, mater. » Respondit illa pauperum susceptrix, et humilium consolatrix: « Volo igitur, ut mittas eum in requiem tuam. » Dixit autem ad eam: « Fiat ei, sicut vis. » Respondit ei beatissima Virgo: « Et quando fiet istud? » Ait Dominus: « Quinta die veniat, et salvetur. » Transacta itaque visione, frater ille quod viderat et audierat cæteris indicavit, et attonitis, et ad prædictum diem suspensos reddidit. Ut autem certitudo revelationis probaretur, ingravescente ægritudine qua premebatur, quinta die juxta sermonem Domini migravit a corpore, et in requiem et pacem quæ exsuperat omnem sensum, assumptus est: quam ei beatissima Virgo Dei genitrix suis piissimis precibus obtinere dignata est. Beati igitur omnes, qui confidunt in ipsa, ejusque servitio vigilantia devotione insistent, quoniam mensuram bonam, et conferant, et coagitatam, et superfluentem, largissima remuneratrix reddet in sinum eorum (Luc vi). Cæterum fratres ejusdem cœnobii de tam felici assumptione hominis Dei multum ædificati, Claravallensis quoque disciplinæ, quam in eo viderant, æmulatores effecti, venerationi sanctæ Theococon Domine nostræ, tanto alacrius intendebant, quanto sibi perire non posse sciebant, quidquid ejus famulati impendere potuissent.

## CAPUT XXXII.

*De monacho, cui dictum est: Dimissa sunt tibi peccata tua.*

Inter athletas Christi, qui spirituali palæstra in stadio Claravallis exercebantur, erat strenuus quidam agonothesa, Enarrandus nomine, nobilis quondam in sæculo miles, qui relicta mundiali pompa vanam militiam fructuosa militia commutavit. Mi-

(30) Si miles resurrexit, ut hic dicitur, alias damnandus, supponendum omnino est, licet non dicatur, sacramentalem Confessionem tunc fecisse.

litibus namque Templi Domini sociatus, et apud ipsos fidelis inventus, militum quoque Templi magister effectus est, in quo officio industriam animi, viresque corporis, quas a Domino acceperat, non in cives, sed in hostes vibrare didicit, et de strenuitate sua non plausum terræ, sed præmium cœli sperare, cautus fuit. Quia vero eadem militia, Mariæ otium nesciens; tota erat in laboriosis negotiis Marthæ, qua sine pulvere delictorum vix aut nunquam peragi possunt, ut in sacratoris adhuc militiæ sacramenta juraret, Claravalli se contulit, ubi sicut antea priorem militiam secunda nobilitarat, sic nunc secundam tertiam superavit. Cœpit namque robur corporis non exercere, sed frangere jejuniis, vigiliis, et laboribus multis, propriæ quoque voluntatis mortificationi intendere: voluntariæ paupertatis, quæ sola Christianæ religionis vera militia est, amatorem se probans. Sedulus erat in compunctione et oratione, pro præteritis erratibus suis Christi Domini misericordiam quotidianis lamentis enixius implorans. Cum talia diutius acriter, factus, secundum prophetam, vir videns paupertatem suam in virga indignationis Domini (Thren. iii): volens jam pius Dominum lactucis agrestibus, id est, amaritudini penitentiae ejus, azymos panes, id est, gratiam consolationis adungere, sine quibus agnus æternæ vitæ mandi non potest, tali modo indulgentiæ suæ largitate mœrenti ac affligenti se prærogare dignatus est. Cum esset aliquando positus in oratione, præveniens faciem Domini in confessione et obsecratione pro peccatis suis, raptus est subito in excessum mentis, viditque Dominum Jesum Christum mansuetissima voce dicentem sibi: « Dimissa sunt tibi peccata tua. » Mox vero ab extasi dimissus, et in se reversus, consolatus est vehementer; et gratias agens Deo, didicit de cætero servire Domino in timore, et exultare ei cum tremore (Psal. ii); sicut in optima conversatione consensescens, plenus dierum appositus est ad patres suos, laboris sui præmium vitam æternam a Domino percepturus.

Hic autem vir venerabilis memorabile Dei miraculum, quod nuper acciderat, retulit nobis quod a quibusdam honestissimis fratribus et commilitonibus suis audierat, quoque ipsis præsentibus et rem certius explorantibus acciderat. Erat in partibus Germaniæ miles quidem strenuus, et genere nobilis, qui tempore vitæ præsentis explicito, spiritum emisit. Cumque diu mortuus jacuisset, et jam tempus humationis instaret, anima redeunte repente homo redivivus apparuit, et velamine revolutus aperuit oculos, atque in stratu funereo resedit (30). Stupentibus cunctis qui aderant, planctus et lamenta mœrentium illico sopiuntur, et a mortuo suscitato causa tantæ novitatis exquiritur. Ille vero præsentem uxorem atque germanum, qui ei succedere habebat in patrimonio, ita exorsus est fari ad illos: « Cum in mortem, inquit, oculos clauderem, ductus sum protinus ad tribunal Judicis examinandus. Ibi appensus in lance æquitatis, inventus sum minus habens, unde etiam mortis æternæ rei ambo tenemur. Unum tantummodo superesse remedium, agnosce: Si relicta sæculi pompa Christi connubio monastica professione te junxeris, mihi veniam, et tibi gloriam impetrabis. » Quod illa gratanter accipiens, sese incontinenti facturam esse firmavit. Deinde convocatis singulis debitoribus

suis Germano suo præcipit, ut ad ea quæ expostularet, singulis satisfaceret. Inter cæteros vero Judeus quidam accessit, trecentos debiti solidos exigens ab eo. Quem severo vultu et reverberantibus oculis intuens, cunctis qui aderant mirantibus, dixit ad eum: « Tu neque in cœlo, neque in terra, neque in omni creatura Dei, habes aliquid juris. Tamen ne videamur te ante tempus judicare. » Tunc præcepit ut per omnia responderetur ei, sicut et cæteris. Cum ergo hæc et similia multa dixisset, reclinato iterum capite emisit spiritum.

## CAPUT XXXIII.

*De religioso quodam converso Claravallis nomine Laurentio.*

Erat in Claravalle conversus quidam religiosus, nomine Laurentius, cujus etiam superius (31), dum de venerabili viro domno Gerardo de Farfa litteris aliqua mandarem, mentionem fecimus. Erat ergo vir ille spiritualis et devotus in omni conversatione sua, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia jugiter insistens, ita ut per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachiæ corpora in secretario die noctuque servaret, vix unquam aliqua hora posset ibidem aliter inveniri, nisi semper orationi incumbens, et diuturnis fletibus pavimentum rigans. Hujus autem puritatis et devotionis celsitudinem non sine multo labore per gratiam Dei acquisierat, quoniam in primordio conversionis suæ multis tentationibus vexabatur et contra malignorum spirituum venenatas suggestiones diuturno certamine exercebatur. Nocte vero quadam, dum finitis Matutinis in quodam domicilio solus esset, ecce immundus spiritus mugiens et plangens, discursu gyrovago circa eum rotabatur. Ipse vero fronti suæ signaculo crucis imposito, quisnam esset interrogavit. Versipellis autem malignator, ut rudi animo et teneræ menti graviorum metum incuteret, respondit: « Ego sum ille qui tentavi et flagellavi Job. » Quod audiens frater, quoniam adhuc novus in conversatione sancta erat, timuit vehementer, et fugit a facie maligni spiritus, et eum ulterius non vidit. Post transitum autem B. Bernardi contigit ut idem frater a domno Philippo venerabili Claravallis priore ad regem Siciliæ Rogerum mitteretur, pro negotio ejusdem Ecclesiæ. Qui cum Romam fuisset, ingressus, comperto quod idem rex nuperrime mortuus fuisset, consternatus est animo; et quid in tali articulo facere deberet, prorsus ignorabat. Et recordatus sancti Patris sui Bernardi, sub quo pro diversis negotiis frequenter missus prospere ibat et redibat, cum gemitu et lacrymis multis conversus ad orationem, eundem sanctum Dei invocabat dicens: « Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus (IV Reg. xii), ut quid dereliquisti nos? Heu me, Pater sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperulus et misellus, ego omni consilio et auxilio destitutus? Te vivente et te jubente securus procedebam ad terras et ad nationes diversas, et ubique recipiebar ob gratiam tui, nimirum deferens salutationes et litteras tuas, quas reges et præsules cum cæteris omnibus tanquam cœlitus missam benedictionem suscipiebant, et eulogiis tuis nobiliores quique se nobilitari gaudebant. Nunc autem te defuncto defuncta est tecum pariter et gratia mea; nec erit jam, qui peregrino et inopi manum porrigat adjutorii. Et ecce mortuus est rex, qui te sincero diligebat affectu; surrexitque filius pro eo, puer qui te forsitan ignorat. Quem adhuc tam longe remotum si adire voluero, et repulsam ab eo pati contigerit, inconsolabilis mihi erit dolor, post tanti laboris et longissimi itineris defatigationem, infecto redire negotio, qui te vivente bonis omnibus cumulatus in Claramvallem tuam redire solebam. Si vero

(31) Distinc. III, cap. 15.

incontinenti reversus negotium intentatum reliquero, torporis et insipientiæ argui pertimesco. Porrigere precor, auxilium, præbe consilium indigenti; et ne despicias gemitum servuli miserandi. »

Eadem itaque nocte apparuit ei idem beatissimus Pater, et magnifice consolatus est eum, dicens: « Quid tibi visum est frater, ita de Dei misericordia et mea interventione diffidere? Quando enim, vel ubi sensisti, defuisse tibi adminiculum meum in necessitatibus tuis? An forte impotentior me modo autumas, quando jam introductus sum in potentias Domini, quam olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo securus, quia prospera cuncta evenient; et in hoc ipso scies quia ego te miserim. » Hæc et alia plurima sancto loquente, frater ille præ nimio pietatis ardore totus in anima liquebat; et corde ejus immensam pariter lætitiæ, foris quoque devotionis lacrymarum erumpebant. Cumque evigilasset, madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum in quo caput reclinarat, eodem lacrymarum profluvio undique perfusum esse cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de urbe fuisset egressus, reperit cuneum institorum mercimonii gratia Siciliam aduentium, Qui cognoscentes eum esse de Claravalle, mox eum in suo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, et quæque necessaria gratis quotidie ministrabant. Tandem ingressus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus. Et non solum de negotio pro quo fuerat ad Patrem destinatus, prosperum eventum obtinuit, verum etiam rex aperitis thesauris suis ad ædificationem novæ basilicæ Claravallis, pro ejusdem Patris sui anima non modicam auri summam per eundem fratrem magna devotione transmisit. Reversus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis cardinalium, aliorumque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam largientibus eis ex urbe usque ad decem bubalos educeret, quos non sine ingenti omnium stupore Deo se protegente, sanctique Patris sui meritis patrocinantibus, Claramvallem usque perduxit. Quis enim satis mirari sufficiat, quod homo debilis ac veteranus, cum duobus tantum puerulis, tantæ enormitatis ac ferocitatis antituitia, quæ etiam boves multa corpulentia et firmitudine superant, per tot locorum discrimina, per tanta latronum prædonumque molimina, tam longo itinere salva et incolumia minare potuerit, præsertim cum genus illud animalium citra Alpes, ut asserunt, in toto Occidente hactenus visum non fuerit? Vix enim vel una die malignantium occurus ac violentias poterat declinare: quæ tamen omnia, Deo fidelem famulum suum per orationes S. Bernardi tutante, pertransivit indemnis. Factum est autem ut transire cogere per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant, quorum manus nullus immunis evadere poterat, nisi forte qui viribus prævalebat. Mane vero jam rutilante aurora, cum de aliquo prato, in quo cum animalibus pernoctarat, egrederetur, rogabat attentius Dominum, sanctumque Bernardum, ut ab imminente periculo erueretur. Et ecce apparuerunt ei procul quasi duo viri obviam venientes, et singulos cereos accensos in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquant, cum jam pene ad ipsum pervenissent, subito ab oculis ejus evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque illum diaboli nidum, illico sistitur, atque ad prædam diripiendam undique accurritur. Nutu vero Dei supervenientes eadem hora quidam honesti viri, cum eum Claravallensem esse cognovissent, de manibus irruentium liberarunt, et cum suis omnibus abire fecerunt. Tandem vero perveniens ad Claramvallem, mirantibus universis novi generis bestias intulit, quæ multiplicatis foeti-

bus quotidie propagantur, atque ex eo loco per multas jam provincias dilatantur. Ipse vero frater ad spiritualia reversus studia, sacræ disciplinæ, quam sanctus tradiderat Bernardus, seniles humeros tota alacritate supposuit, pia confidentia præsumens ejus se meritis et precibus ab æternis malis erudendum, sempiternisque bonis perfruiturum; qui ipsum de præsentis itineris tam multiplicibus periculis misericorditer absolutum, ad Claramvallem suam salvum perducere dignatus est.

## CAPUT XXXIV.

*Narratio cujusdam spiritualis monachi de Clara-valle.*

Quidam religiosus et spiritualis monachus de collegio Clarævallis in partibus Dacie in una de domibus Clarævallis diutius habitavit. Hic igitur quadam vice rediens in Claramvallem, fratribus suis causa ædificationis retulit jucundum, et omni acceptione dignum miraculum, quod in confinio Saxonie noviter accidisse, asseverabat. Erat in eisdem partibus quoddam Cisterciensis Ordinis cœnobium, in quo quidam magnæ religionis et admirandæ humilitatis monachus in simplicitate cordis sui Domino devote serviebat. Qui cum in omni sacri ordinis observantia fervens esset, atque devotus, semetipsum in omnibus despiciens et humilians, maxime tamen silentio et quieti operam dabat, orationi, compunctioni, atque lectioni, continue vacans, ita ut semper ad orandum sive ad legendum, ubicunque poterat mirabili dulcedine traheretur, fructum tamen devotionis magis quam eruditionis in lectione requirens, ita in ea delectabatur, sicut in omnibus divitiis. Appropinquante autem hora migrationis ejus de hoc mundo, cum graviter ægrotaret, et oleo infirmorum jam inunctus esset, rogavit ut corpus ejus in præsentem lavaretur, et vestimentis quibus sepeliendus erat, indueretur. Fratribus, vero causantibus novitatem et facere differentibus, cum in sua petitione persistere, ob reverentiam sanctitatis suæ quod volebat obtinuit. Quo facto, circumstantibus ait: « Reverentissimi unusquisque ad officia vestra, quia modo moriturus non sum, sed die sequenti post refectio-nem servitorum vocabit me Dominus. » Cunctis itaque fratribus ad hanc prophetiam hominis Dei suspensis, illuxit dies altera, et eadem qua prædixerat hora, sonitus tabulæ universos ad commendationis officium migraturo persolvendum ocuis invitavit. Quod cum tanto devotius facerent, quanto morientem in æterna vita mox glorificandum fore certius sperabant, ipse frater ultimum jam trahens spiritum subito divina gratia illuminatus est, et exhilarata facie circumstantibus dixit: « En modo ingreditur ad nos ille dilectus Domini, beatus Joannes evangelista. » Et cum paululum reticuisset, iterum dixit: « Ecce nunc venit beata Dei genitrix et virgo Maria. » Et post modicum intervallum ampliori repente gratia illustratus, clara voce subjun-

xit. « Eia, fratres, ecce jam venit Dominus Jesus Christus, et cum eo sanctorum angelorum aliorumque sanctorum frequentia. » Et cum hoc dixisset, confestim in jubulum et exultationem cordis, præ dulcedine illius quem intuebatur, raptus, cantare cepit, et imponere Antiphonam illam dicens: *Subvenite, sancti Dei, occurrere, angeli Domini.* Atque ita cantando animam reddidit. Videntes autem fratres hominem in morte exsultantem, et cantando morientem, eandem Antiphonam quasi de ore ipsius festinato rapuerunt; et cum multo pietatis affectu elevata in excelsum voce percantaverunt. Hæc itaque prædictus senior fratribus Clarævallis fideliter innotuit, eorumque animos ad contemptum mundi, despectum sui, amoremque Dei, vehementer accendit: quorum utinam imitatores efficiantur, omnes qui hæc legerint, vel audierint, scientes certissime quoniam quanto quis in hoc mundo fuerit, tanto in futuro apud Deum gloriosior et sublimior apparebit.

## CAPUT XXXV.

*De claris luminibus Clarævallis.*

Hactenus itaque de claris luminibus Clarævallis, nec non et de clarissimo sole, qui de eadem, conspicua valle consurgens, universas mundi partes claritatis suæ radiis illustravit, nos disseruisse sufficiat, cum tamen paucos admodum flores de spatiosissimo floridissimoque prato vernantis ejusdem beatæ vallis, ad accendendum in nobis sacræ devotionis fervorem, decerpserimus, quatenus rutilantis eorum pulchritudinis venustate illecti, suaveolentiaque recreati, mundum cum omni vanitate et voluptate sua spernere, atque ad æternæ claritatis patriam anhelare, in libro veræ theologiæ, in quo scriptæ sunt lamentationes, carmen, et vae, tota mentis vigilantia discamus. Sed quis ad hæc tam idoneus? Propterea quid aliud restat nobis, nisi comedere panem doloris in sanctos ejus, quamque misericordia moti, ad ora latrantium sub mensa cæli, vel exigua aliqua sublimium illarum deliciarum fragmenta demittant, per quæ, ne in via poenitentia deficiamus, sustentemur? Cæterum sicut in prædictis Patribus cognovimus quam liberalis sit misericordia Dei in sanctos ejus, quamque pius respectus in electos illius, qui mandata vitæ absque dissimulatione custodiunt sic in subsequentibus exemplis demonstrabimus quanta benignitate quandoque peccantibus ignoscat, seu quanta districtione delinquentes interdum feriat, quatenus sic misericordiam amplectamur, ad omne opus bonum parati; ut tamen, si forte negligentiores nos in via mandatorum Dei deprehenderimus, maledictionem, quæ opus Dei negligenter exsequentibus intentatur, pavida semper mente pensemus.

## DISTINCTIO QUINTA.

Continens salutaria Monita exemplis probata, de quorundam vitiorum periculo, et punitione.

## CAPUT PRIMUM.

*Admonitio domni Gerardi abbatis Clarævallis, de non jurando et de periculo jurantium.*  
Beatæ memoriæ Dominus Gerardus, quondam Cla-

(32) *Distinct. II, cap. 27.*

ravallis abbas cujus supra (32) pretiosam in conspectu Domini mortem descripsimus, solebat aliquoties fratres suos a consuetudine jurandi com-pescere, et, ut hoc efficacius posset rem quamdam terribilem, quæ tunc cuidam juratori recens acci-

derat, exempli gratia narrare curavit. Dicebat vero eandem rem venerabilem virum Cadoreii episcopum sibi innotuisse, cui etiam ejus capellanus vir valde honestus se præsentem interfuisse affirmabat. Erat igitur in partibus illis homo quidam carnalis, qui, dum aleis aliquando luderet et tesseri sibi male cadentibus perderet, quiddid dementi in buccam veniebat, ore furibundo jurabat. Cumque jam pene omnia amisisset, alius quidam nefandus aleator accessit; et tumida illum indignatione amovens, ait: « Cede, iners, cede; ego ludam pro te, quia tu nescis, neque ludere, neque jurare. » Cumque et ipse, ut erat filius perditionis, similiter perderet, diabolico furore inflammatus, cepit omnia Domini nostri Jesu Christi, tam interiora quam exteriora, quasi per ordinem membra jurare, nihil omnino injuratum dimittere volens. Proferbat igitur jurationes quasdam, seu blasphemias horribiles atque inauditas, quemadmodum cordis et oris ejus instructor, imo vere destructor diabolus excogitabat. Ast ubi Dei et hominis Domini nostri omnia membra furioso et blasphemio ore consumpsit, adjecit ad cumulum damnationis suæ, etiam intemeratæ matris ejus sanctissima membra jurare, terribili nimis temeritate satagens universa sigillatim atque seriatim venenato dente discerpere, ita ut sanæ mentis omnes qui aderant, a facie blasphemantis et obloquentis aures obstruerent, et, pectora tunderent. Ne dum juramenta omnia sacrilegus jurator expleverat, et ecce repente ultio digna atque divina invisibili et quasi fulmineo ictu feriens ac perforans sceleratum, majestatis iratæ terribile dedit experimentum. Percussus itaque blasphemus corruit, et putans quod aliquis eum materiali gladio confodisset, horrendo gemitu exclamans, ait: « Heu, heu, miser, quis es, qui me interfecisti? Cumque diutius in terra palpitans, et mortiferos gemitus efflans, volutaretur, tandem urgente maligno, cui traditus fuerat, abominabilem animam tartareis ignibus concremanda expuit. Nudato itaque corpore ad lavandum, inventa est in dorso ejus plaga recens terribili apertura dehiscens, ac si aliqua securis amplissima ibidem immersa fuisset, ita ut penetralia cordis, hepatis et pulmonis funditus apparerent. Quo viso conterriti sunt juratores, videntes quia Zelus Domini exercituum tam gravi animadversione multavit juratorem impium atque blasphemum. Cumque rumor velocius pervolans tremefactus undique vicinos traheret ad videndum, quidam de intimis ejus mæstus accelerabat ad illum. Huic ergo itineranti apparuit quidam mortuus homo, quem viventem ipse cognoverat, et ait: « Agnoscisne me? Ego sum ille defunctus, olim tibi non ignotus. Novi ego quo tendas, sed incassum te fatigas. Jam enim morte absorptus est, quem viventem invenire te putas. Porro unum est, quod te latere nolo, quia Dominus Jesus Christus a suis contumeliosis multas contumelias et injurias patitur, patienter exspectans, tamquam patiens redditor. Verumtamen immaculatæ genitricis suæ læsiones atque convitia non facile sustinet: sed aut præsentem supplicio citius punit, aut si forte reservat in posterum, cæteris malis acerbius ferit. » His ita peroratis, defunctus ille, qui loquebatur evanuit (33). Is vero ad locum perveniens, amicum jam mortuum juxta mortui vaticinium reperit; et referens quæ audierat, terrorem terrori, et miraculo miraculum adjecit. Alium quendam juratorem impudentem et execrabilem circa fines supradictæ civitatis Cadoreii fuisse affirmabat prædictus venerabilis abbas Gerardus. Qui cum beatæ Dei genitricis et Virginis Mariæ sacrata et secreta membra ore

(33) De blasphemio illo lusore idem narrat Cæsarius, quod hic. Quod autem dicitur Deus citius ultiscisci Matris injurias quam proprias, id facit, ne illa

spureissimo jurare præsumeret, mox immundo spiritui traditus, durissima passione diu vexatus atque distortus est, ita ut oculis eversis, et facie tota enormiter intumescens, linguam ardentem atque ejectam longius ab ore porrigeret. Qui cum ita fuisset longo et horrendo tormento excruciat, tandem miserabilem animam dæmoniis spiritibus reddidit, linguamque effrenem, quam extraxerat, nec in morte retraxit. His et hujusmodi exemplis dominus Gerardus abbas Clarævallis fratres suos, ne jurationibus assuescerent deterrebat, quia licet omni homini consuetudo jurandi periculosa sit, a monachis tamen et omnibus religiosis, etiam minimas jurationes sine gravi periculo usurpari non posse certissimum est.

## CAPUT II.

*De periculo proprietatis.*

Piissimæ recordationis dominus Abraham quondam Prateæ abbas, quæ est una de filiabus Clarævallis, florem virginitatis cum fructibus bonorum operum, sine quibus castitas non magna est apud Deum, usque ad consummationem immaculatæ vitæ, largiente Christo, conservavit. Hic itaque homo sanctissimus, ac singulari mansuetudinis gratia præditus fuit, jugumque Domini ab adolescentia cunctis diebus vitæ suæ indefesso studio portavit. Qui cum adhuc esset ætate pariter et religione novellus, modicam panni novi scissuram ad resarciendam vestem in grabatulo suo sine licentia condidit. Sed dum eam post paululum requisisset, et reversato undique stratu minime reperisset, miratus abscessit; et remordente conscientia, furtivam rapinulam privata confessione quantocius delere curavit. Et o magna virtus confessionis! magna nihilominus pietas Redemptoris, qui totam quodammodo spem salutis humanæ constituit in sacramento Confessionis! Sicut enim nulla multiplicitas, nulla enormitas criminum aut scelerum potest obsistere, quia gratia pure et humiliter confitentem sublevet de imo barathri, et collocet in fastigio cœli, sic nimirum etiam minima delicta confiteri dissimulantem præcipitant de fastigio perfectionis in ima miserabilis dissolutionis. Itaque prædictus juvenulus, qui prudenter adverterat tantillum peccatum suum sine confessionis remedio aboleri non posse, cum post modicum temporis intervallum solus in coquina scutellas ablueret, ecce subito paniculus ille per aerem lapsus, et velut aliquo portante manibus ejus injectus est, quatenus cum ipso sordes materiales detergeret, propter quem sordibus proprietatis animam ejus Satanas fedare tentaverat. Quem cum certissime recognosceret, et correctis quaquaversum obtutibus neminem in eadem domo, neque sursum neque deorsum aspiceret, manifeste comperit ab immundo spiritu furtim sublato fuisse, sed post factam confessionem ab eo retineri non potuisse. Quapropter in timore pariter et exultatione cordis gratias agens Deo, animadvertit, quam cavendum, quamque timendum sit ab ejusmodi proprietatibus, quamlibet minimis, eis qui puram atque perfectam paupertatis professi sunt vitam, cum etiam sanctimonialis quædam, ut legitur, propter exiguum sericum filii, quod sine licentia lectulo suo reposuerat, diaboli sustinuerit in morte calumnia.

Alius quidam Cisterciensis Ordinis monachus, cum infirmitate tactus ad horam ultimam devenisset, jamque loquendi officium amisisset, vidit immundum spiritum ad instar simiæ sedentem in pertica juxta parietem posita, ubi scapulare ipsius dependebat. Porro in ipso scapulari veteri et dirupto idem frater modicam panni scissuram sine licentia

contemni et parvi fieri a Deo putetur: Dei autem majestas, licet non puniat, non potest non esse venerationi.